



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Dedicatio Altaris sanctae Crucis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

Alexandri, Felicissimi, Sifinnij, SS. Confessorum Germani, Felicis, SS. Mariae Magdalena & Anastasia Virg.

Dedicatio Altaris sanctæ Crucis.

ANNO ab incarnatione Domini M. C. LX. indictione 7. 3. Nonas No-
uembr. dedicatum est hoc altare à venerabili S. *Brixinensis* Ecclesiæ Episco-
po *Hartmanno* in honorem S. Dei genitricis *Mariæ, SS. Apostolorum Andreæ & Ia-
cobi.* Continentur autem de ligno in quo passus est S. *Andreas.* & reliquiæ SS. mar-
tyrum *Georgij, Vitalis, Cassiani, Colomanni, SS. confessorum Ingenuini, Albuini, Gi-
silarij, SS. virginum Eusemiæ, Walburgæ.*

Perchtoldus Præpositus cum Prælaturam suscepisset, rexit annos 32. & mo-
ritur altera die *Gertrudis* anno 1212.

Eglo Præpositus cœnobij huius obiit anno 1224. die S. *Anne,* sui regiminis
fuerunt, 12.

Mangoldus Præpositus huius loci obiit anno 1226. 14. Kalend. Aprilis. rexit
annos duos.

Heinricus Præpositus præfuit 21. migravit à sæculo die *Albani* martyri:
anno 1247.

Dietricus Præpositus cum præfuisset an. 7. moritur an. Dñi 1254. die *Seuerini*
Episcopi.

Guntherus Præpositus rexit Monasterium annos 18. & defunctus die *Hypo-
lyti* anno Domini 1272.

Hermannus Præpositus sumitur in Abbatem Monasterij *Fürstfeld,* & aquæ
ductum ex fluuio *Amera* per Monasterium struifecit.

Heinricus Præpositus antedicto subrogatur & cum rexisset annos 6. defun-
ctus est pridie *Kunegundis* an. Dñi 1279.

Chunradus Præpositus dictus *Amsinger* vita, doctrina & moribus insignis ha-
bitus, ita ut in vna litterarū B. *Chunradus* vocaretur præfuit annos 34. laudabili-
ter, obiit circa annum Dñi 1313. die SS. *Fabie & Sebast.*

Heinricus Præpositus rexit Monasterium an. 21. & moritur. 13. Kalend. Apri-
lis anno 1334.

Chunradus Præpositus cum rexisset annos duos moritur an. Dñi 1336.

Vlricus Præpositus præfuit annos 5. & defunctus est anno Domini 1341. 7.
id. April.

Heinricus Præpositus ob. an. Domini 1345. die 17. Maij cum rexisset annos
quatuor.

Chunradus Præpositus, dictus *Schondorffer* clarus sanguine, industrius & val-
dè utilis ditando Monasterio, præfuit annos 36. moritur die *Margaretha* Virg: &
martyri: anno Domini 1382.

Vdalricus Præpositus, dictus *Kalckmair,* qui & gradualia & antiphonaria scri-
bi fecit, præfuit annos 22. & defunctus est die *Felicitatis & Perpetuæ* anno Domi-
ni 1404.

Wilhelmus Præpositus, dictus *Daberzhouer,* rexit annos 19. & circa annum
Domini Millesimū Quadragesimū XIV. incendio periit totum *Pollingense*
Monasterium: cedit tandem Prælaturæ & moritur *Tecla* Virgin: anno Domi-
ni 1434.

Vdalricus Præpositus dictus *Schüz,* præfuit annos 27. hic post ruinam, pro-
ut potuit templum ædificiaque alia reparavit, moritur die *Simonis & Iudæ,* anno
Domini M. CCCC. L.

Ioann -

Iohannes Præpositus dictus *Mairhouer* rexit annos quatuor, obiit 2. Idus Martij an. Dñi 1454.

Ioannes Vend Præpositus, vir multum vtilis Monasterio, extruxit quidem inter alia plurima ædificia Sacellum S. *Wolffgangi* cum piscina ibidem, præfuit laudabiliter annos 37, & obiit Kln. Ianuar. an. 1491.

Michael Præpositus, dictus *Spett*, vir integer & bonus, præfuit an. 8. & strui fecit piscinam in *Stadl*, moritur 23. Kln. Septemb. an. 1499.

Ioannes Zingesser ob. an. 1523. 8. Feb. vir admodum frugi Monasterio, illudque religione, ædificiis, libris, & redditibus auxit, piscinam *Nusperg* struxit, Capas mutauit, rexit bene annos 23.

Ioannes Vend Præpositus, vir benignus & bonus, hic strui fecit templum diuæ *Virg. Mariae* monstrabile, etiam infirmarium horti, superius reformauit molendinum, rexit bene an. 7. ob. 4. Kln. Iunij an. Dñi 1530.

Chunradus Hærtl Præpositus huius loci, obiit anno Domini 1531. 18. Calend. Octob. Idem Præpositus in Prælatura præf. an. & 9. hebdomadas, & in Decanatu 27. annos.

Gregorius Pez Præpositus, Prælationis culmen prouida sollicitudine per triginta & vnum integrum annum tenens, moritur 8. idus Augusti, anno Christiano 1562.

Erhardus Eijrl Præpositus, præf. an. 9. & onus Prælaturæ causa senectutis resignauit, anno Domini 1571. die 25. Iulij. & è vita discessit Nonas Martij 1573.

Jacobus Schvartz Præpositus, cum rexisset Monasterium *Pollingense* an. 20. moritur anno Christi 1591.

Casparus Leis Præpositus præf. annos viginti quinque, & moritur Idib. Febr. an. à Christo nato 1616.

Cui successit R. P. *Chilianus* qui hodie *Pollingense* cœnobio cum laude præest,

P R V E L.

MONASTERIUM prope Ratisp. ordinis Carthusianorum. Gebhardus² Ep̄s Ratisponensis, primus huius nominis, non secundus, Com. de Hohen-^{Auent. 662.}
^{1. fol. 507.}vwart familiæ Andecensium, fundo Pruel prope Ratisbonam, per commutationem à Monasterio S. Emerani acquisito, instituit ibi Monasterium S. Benedicti ordinis, an. 997. sub Ottone tertio Imperatore.

CONRADVS secundus Imperator dono dedit huic Monasterio agrum contiguum, vbi nunc est villa & Hoffmarchia, dicta Kumpfmül. an. 1036.

EPISGOPi Ratisp. prætendebant aliquando ius ad dictam Hoffmarchiam, volentes eam trahere ad suum iudicium, quod *Drobstrecht* vocant, instituta quærela, de hac re coram Concilio Basiliensi, per Fridericum Episcopum, ann. 1445. Sed relictus est Abbas in sua quietâ possessione vsq; nunc, Hartvvicus Episcopus ceptum hoc ruinosum Monasterium restaurauit, & sub Abbate eius loci septimo Ruthardo consecrauit, circa annum 1106.

HEINRICVS Episcopus Ratisponensis impetrauit à Gebhardo, Comite de Kregling, quatenus Aduocatiâ illius Monasterij, quam idem Comes ab Episcopo in beneficium habuerat, deinde commendatam certis modis haberet, vt de agris Monasterij infra miliare vnum nihil pensionis exigeret, resignato omni iure placidationis infra ambitum Monasterij. Prædia vero de nouo acquisita vel acquirenda idem Episcopus, consentiente Comite prædicto, commendauit

Heinri.